

perbiam, effrenesque illorum turbas, & conatus coercere queant? quid? quod desperatione præcipites, cæca insania in exitium acti, ad illa subsidia confugere possent, quæ illis non modo, verum toti christianæ reipublicæ perniciofa, atque exitialia futura essent? Hanc itaque Senatus gravissima in re sententiam esse: nihil magis optandum, quam ut, religionis dissidiis amotis, restinctis odiis, prisca, eademque catholica religio retineatur, atque augeatur, quam ab incunabulis Respublica Veneta sanctissime servaverit, atque omni tempore coluerit. Tanta in re vel Senatus auctoritate, vel rationibus permotus Pontifex belli consilia abiecit; cum præsertim ea temporum conditio esset, ut potius in communem hostem arma vertenda, quam in propria viscera sæviendum esset, cum in dies Suleimanum ingentibus copiis in Pannoniam reversurum, Viennam oppugnaturum rumor afferret; neque Cæsar ab iisdem consiliis abhorrebat, potiusque concordie rationes inveniri, quam armis decerni cupiebat, in id summopere intentus, ut Ferdinandum fratrem procerum suffragiis Romanorum Regem crearet: quocirca religionis causam in futurum concilium distulit.

Interea vero, quo finium controversiæ a Venetis cum Ferdinando definirentur, ut ex præscripto pacis utrinque arbitri deligerentur, postulabat. Neque dissentiebat Senatus, sed cum in supremum arbitrum minime convenire possent, mora negotium differebatur: nam Ferdinandus Mantuanum Ducem, vel Augustæ Vindelicorum Antistitem, vel Pontificis apud se oratorem huic muneri obeundo præficiendum curabat: Veneti Teatinum Episcopum, Salernitanum Archiepiscopum, & Pontificis apud Rempublicam oratorem dicebant. Tandem cum Senatus Matthæum Avogarum nobilem patricium, doctorem, equestri insignitum dignitate, arbitrum dixisset, adhuc diffidentibus de supremo sententiis, res cunctatione trahebatur. Neque minus Senatum urgebat, quod nondum, anno fere elapso, Mediolanensem arcem, ac Novocomum civitatem Francisco Sfortiæ Cæsar, ut cautum fuerat, restitueret; veritum, ne humani casus fructum pacis præriperent. Cunctationis causa dicebatur, quod Franciscus Sfortia eam pecuniam Cæsari solvere non posset, quam se numeraturum prius quam oppida

*Arbitri inter Venetos ac Ferdinandum.*